VIRO
*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo
Consultissimoque*
DOMINO
# JOANNI GODOFREDO ROESNERO,
*Burggrabio Regio, Pro-Cons. & Proto-Scholarchæ*
In Regia hac Civitate Thorunensi,
Longe meritissimo gravissimoque
*De feliciter redeunte Nominali Die*
d. 24. Junii *M.*DCCXIV.
*Rudi quidem* Carmine, *sed demissa mente*
Gratulabantur
GYMNASII THORUNENSIS
TRIUM SUPERIORUM CLASSIUM
AUDITORES.

THORUNII, impressit Joh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.

PElle metum solitum, qui corda perurit, & effer
Cladibus afflictum, Clara Thoruna, caput.
Indue paullisper faciem inter bella serenam,
Nam nulli fas est hoc gemuisse die.
Parce genis igitur, gemebundis parce querelis,
Postque graves planctus carmina læta cane.
Vos quoque quæ colitis nostri sacra culmina Pindi,
Pierides, dulci fundite voce melos.
Sumite jam citharamque levem, chordasque sonoras,
Hactenus in latebris quæ latuere suis.
Carmine sic Pindus resonet, montesque propinqui
Multiplici repetant gaudia vestra sono.
Talia nam poscunt præsentis festa diei
Talia noster amor cum pietate iubet.
Talia Magnifici poscunt benefacta Patroni,
Talia cum Musis Tota Thoruna cupit.
Quis vero tantas poterit describere laudes,
Nomina vel tanti concelebrare Viri?
Vix Maro divinus, vel doctus Horatius illas
Scriberet, aut numeri, culte Tibulle, tui.
Scilicet ille sibi meritis devinxerat omnes,
Quos fovet in gremio patria nostra suo.
Nam licet horrendus vibret sua fulmina Mavors,
Urat & ancipiti mœnia nostra malo;
Quamvis flammivomus consumat mulciber ædes,
Nostraque divexet prædia miles atrox:
TU tamen in tantis omni ratione ruinis
Conservas cives, Magne Patrone, tuos.
Mens TIBI firma manet, seu fluctu turgeat æquor,
Seu ducas placido candida vela mari.
Ut stans in dubiis undis expostaque vento
Rupes, infestis firma resistit aquis.

Ut

*Ut quæ robustis quercus radicibus hæret,*
*Contemnit vires, Æole dure, tuas.*
*Sic TU sangvinei funesta pericula Martis*
*Sævaq; Bellonæ temnere verba soles.*
*Terribilesque proc ax quas hostis spirat ab ore,*
*Pectore constanti despicis usque minas.*
*Accedit Pietas vitæ integritasque probata,*
*Juris & antiquæ Relligionis amor;*
*Consilii plenum pectus, Prudentia rerum*
*Maxima, sermonis gratia, mira Fides.*
*Pluraque, quæ fida dum laudant mente clientes,*
*Et patrius tacito civis honore colit;*
*Quid mirum, si læta canat TUA nomina, & istum*
*Plausibus excipiat* Tota Thoruna *diem.*
*Iam querulo cives solvunt sua pectora luctu;*
*Pars cantat laudes,* Summe Patrone, *tuas:*
*Pars* Tibi *præsentis gratatur festa diei,*
*Proque salute TUA candida vota capit.*
*Quinimo nitidus Musarum Præses Apollo,*
*Gaudia non potuit dissimulare sua.*
*Pieridumque choro medius dum sedet in alto*
*Bellerophontei culmine montis, ait:*
*Pandite nunc Helicona sacrum plaususque ciete,*
*Quæ colitis Pindi limina docta Deæ.*
*Fundite ROESNERI dulci modulamine laudes,*
*Nomen &* EXIMII *condecorate VIRI.*
*Qui nostras inter sævi discrimina Martis*
*Artes præclare promovet atque fovet.*
*Ut licet in mediis belli flammæque ruinis*
*In placido maneant pulpita nostra statu.*
*Quam male conveniant alias cum milite Musæ,*
*Tristia ludorum fata docere queunt.*

*Quos cum disjiciant crudelis fulmina belli*
*Squalida barbariæ secla redire solent.*
*Sic quoque Thorunii quas vidimus hactenus artes*
*Debuerant charum deseruisse locum,*
*Ni pia* ROESNERI *virtus curasset, ut ipsis*
*Jam profugis sedes tuta parata foret.*
Hunc *ego, cum nostros non ultimus inter alumnos*
*Assidua tereret dogmata nostra manu,*
*Talem prævidi, qualem nunc esse videtis,*
*Sæpeque prædixi, cara Thalia, Tibi.*
Nec *mea me quondam vel spes concepta fefellit,*
*Vel quæ tunc vobis vaticinatus eram.*
*Iam Noster dignis mactatur honoribus, atque*
Raræ *virtutis præmia larga tulit.*
*Vos tamen interea tantum celebrare Patronum*
*Et grates memori mente referre decet.*
*Dixerat, & tenues intendens pollice nervos*
Edidit *Aonio pectine dulce melos.*
*Insequitur cantus, vocum discordia concors,*
*Carmine mox dulci personat omne jugum.*
*Tale quidem doctus cantabat carmen Apollo*
*Talesque edebat turba novena sonos.*
*Quid vero noster Pindus quid nostra Camœna*
*Affert, cui semper barbita rauca sonant?*
M*agna quidem voluit conscribere carmina, sed non*
*In faciles numeros cogere verba potest.*
*Ergo Tibi Musæ placeat demissa voluntas,*
*Quæ pro carminibus vota precesque tulit.*
*Æthereum Numen quod tempora cuncta diesque*
*Dirigit, hunc jubeat sæpe redire diem.*
*Ut possis canos attingere Nestoris annos,*
*Et varia semper prosperitate frui.*